

IV.

*Mixtum secatur imperfectè & imperfectè Mistum*: In illo præcurrit omnium Elementorum absolutissima mistio, quamobrem cito nec fit, nec perit; In hoc levis ac incompleta, raro omnium, sæpius aliquorum, quare etiam facilimè dissolvitur.

V.

*Perfectè Mistum* subdivisione abit in ὁμογένειον seu ὁμοιομερὲς & ἑτερογένειον seu ἀνομοιομερὲς: Illius partes ejusdem sunt essentia nominisque cum toto, ut: Metalla, lapides: Hujus diversa, ut stirpes, bruta, homines.

VI.

*Singula hæc Mixtorum genera Putredinem ex τὸ πολυμαθεσῶν Aristot: sensu contrahunt*, cum ait: σήπεται πάντα ἄλλα, τὴν πύρρος, 4. Meteor. c. 1. Quæ Θεοφ docet, universa etiam imperfectè Mistra Putredine tentari, & ne Elementa quidem impuriora ab ea tuta esse, præter Ignem: licet primariò in perfectè mixtis conspicitur: *partim ob vim consumtricem*, quia nil patitur secum commisceri: *partim ob summam caliditatem*, quæ, cum Igne πρώτως καὶ καθ' αὐτὸν insit, ab alienâ nunquam divellitur.

VII.

Verùm dicito: *non solum Ignis non putrescit inter Elementa, sed etiam aër & Pinguedo secundum Philos. l. de long. & brev. vit. c. 5. asserentem*: τὰ λιωθὰ ἀσηπία. αἴτιον, θ' ὅτι αἶρ & ὁ δ' αἶρ πύρρος τὰ ἄλλα. πῦρ δ' ἔγινεται σὺν πύρρον. Respondetur, autoritatem non dicere ἀδωαμίαν, quasi aër & pingua à Putredinis lege omninò exempta: sed δυσχέρειαν, quia difficilior illa quàm Aqua & Terra putrefiant.

VIII.

Rursùm dicito; *nec communis videtur omni Mistro Putredo*, quandoquidem pro certo habemus, Mistra in Climatibus cœli verticibus ex utrâque parte subnixis à rigido gelu enecari, in medio autem & eorum maximo Solis ardore torreri. Respondetur ex mente Phil. qui nullatenus contendit, quælibet Mistra necessariò ac semper putrefieri, sed esse putrescibilia, atq; olim actu putrescere posse. Quod verò Mixta non semper, nec ubicunque per putrefactionem intereant, id externæ vel caloris vel frigoris violentiæ tribuendum, propter quam hæc pertingunt ad naturalè suæ durationis metam.

A 3

ΕΥΡΩ